

niam et afferam. (*Post momentum ali- quod temporis ianua refigitur intratque Fridianus*).

FRID. — Solitudo ac tenebrae Pharaonis ante ostium hoc! (*Iter praetentat*). Intestabiles sacraeque sunt schedulæ istæ ad invitandum! Ecquod opus erat in alienis aedibus solemnia fieri? Nonne Lentuli ampliae satis erant, ut hospites omnes caperent? Atqui hæ clausæ sunt; tesserarumque oblii, nescimus nos quo tandem littoris appetendum sit.... Atque tamen ea folia in tuto posueram!... Flammifera vero frustula ubinam re- posui? Hac, hac certe... (*Genu in suppellectilem offendit*). Ehi mihi misero: sugillationem certe mihi procuravi! (*Contusum crus attollit, idque faciens malluvium percutit, quod summo fragore comminuitur*).

STASIMUS. — (*Ex sua cella strepitum audiens magna voce quiritat*): Suppetias fert! Fures, fures heic sunt!

FRID. — Comprime absurdam istam vocem tuam in gurgulione; tu furcifer; ego Fridianus... Actutum potius facem apportes.

STAS. — Nequeo; lecto enim me redi- cevi.

FRID. — Surgas igitur, socordissime, qui stertis noctesque et dies! (*Tentat ad pigmentorum repositorium, in terram que mittit ampullas, vasa, pectines, scopulas*). Atqui in loco aliquo esse debent! (*Omnia explorans, omnia subvertit*). Optime!... Ne tamen quis dicat me ingenio egregio ad miserias natum esse; quin imo ad fines qualibet ratione consequendos! En frustulaflammifera! (*Ho- rum reapere capsulam invenit, quarum aliud post aliud incondite fricando incendere non valet. Tum denique lucem sibi per cereum flammiferum comparat, quando hinc Stasimus, inde Calogerus cum suis luminibus apparent*). Evax! Ad quid faces tot? Una sufficit! (*Unusquisque*

funale suum uno eodemque tempore ex- stinguit, ita ut tenebrae iterum fiant, per quas Fridianus, pater et servus, manu iter explorantes, alius alium impingit. Fridianus tandem, quasi iubens exclamat: Eodum! Immobilis quisque in suo loco maneat! (*Alium flammiferum incendit, lampadique ignem immittit*). Unice res prospere succedunt, quando a me componuntur.

CAL. — (*conclavis ruinam adspiciens*). Heu nobis! Quomodo tot damna concivisti?

FRID. — Castus ego a culpa sum, ea- que in inertissimum hunc transferenda, qui me in tenebris tam diu reliquit.

STA. — Ut cogitarem tam cito vos redire posse?...

CAL. — At istaec schedulæ tandem?

FRID. — Reperi nondum.

STA. — Sit cum vestra benignitate: licetne scire me, quidnam nondum in- veneritis?

FRID. — Surdus profecto es, qui adhuc non audisti frustra me tesseras quaerere, sine quibus Lentuli gaudio participare nequimus.

STA. — Numne schedulas duas quae « ad invitandum » inscribuntur?

FRID. — O cerebri felix, ipsissimas!

STA. — Eas in pectorali inveni, quod tu, herule mi, deposuisti.

FRID. — Nonne dixi me eas in tuto collocasse?

CAL. — Nunc autem?...

STA. — Habes cum aliis chartis super illa tabula.

FRID. — Atqui ut dices exspectasti, donec...

STA. — Donec fueris loquutus.

FRID. — Potin tu nunc ut desinas loqui?

(*Ad proximum numerum*). I. F.

Dr. JOSEPHUS FORNARI, sponsor.

Romæ, ex off. I. Bertero et Soc. (*Via Umbria*, 27).

ALMA ROMA

LATINITATIS PRAECONIUM SINGULIS MENSIBUS EDITUM

Premium annuae subnotationis (fasc. 12) est in Italia libell. 9; ubique extra Italiam libell. 12 (doll. 2. 40; march. 10; rubl. 4 1/2; sh. 10; coron. 12) ante solvendum rectoque tramite mittendum ad JOSEPHUM FORNARI doctorem, Romam, Via del Governo Vecchio, 96. ~ ~

FRANCISCUS XAVERIUS REUSS

IN CERTAMINE POETICO HOEFFTIANO ANNI MCMXIV
VICTOR RENUNCIATUS.

Die xxii superioris mensis Martii al- latae nobis sunt litteræ quæ sequuntur:


Idibus Martiis in conventu Ordinis Literarii Academiae Regiae Disciplina- rum Nederlandicæ re- latum est de xxiii car- minibus, quæ Amste- lodamum missa erant ut de praemio anni MCMXIV certarent. Ho- rum aureo praemio di- gnum iudicatum est carmen inscriptum *Mnemosynon*, cuius au- tor apparuit FRAN- CISCUS XAVERIUS REUSS (*Romanus*).

Praeterea prelo da- buntur novem car- mina præstantissima, si poëtae ante Kalendas Iunias veniam dederint sci- dulas aperiendi. Sunt autem his titulis:

Anticato, Sophronia, Pacis augurium, Satelles (cuius poëtam esse ANTONIUM

FAVERZANI iam statim apparuit cum ille scidulæ aperiendæ veniam antea dedisset), *Aquileia, Superstes sibi, De Margaritis, Planasia*; denique *Pueri Lu- dentes*, quod iudicum uni præstare *Mne- mosyno*, ceteris duobus proxime ad illud acce- derere visum est.

H. T. KARSTEN,
Acad. Reg. h. t. ab Actis.



Qua laetitia huius- modi litteræ animum nostrum perfuderint quisque coniicere pot- est, qui non unam hanc *Almam Romam* fuerit nobiscum sequutus, sed *Vocem illam Urbis*, cui qualescumque nostræ vires fuerint, tot annos consecravimus. Cum ea enim Francis Xaverius Reuss a tenebris, in quibus humiliter latebat, excessit; in ea prima eius carmina palam edita sunt; ob

eam qui iure poterat esse magister commitem sedulum atque dilectum, laborisque impigrum socium habuimus. Quum autem Vox illa ob rerum vicissitudines defecisset, Pontifexque ille lacrymabilis Pius auctor nobis fuisse ne opus vulgandae provehendaeque latinitati tam aptum sic finire pateremur, utque fidenter ipsum ex integro renovaremus, etiamtum Franciscum Xaverium Reuss, in florida senecta sua virentem, suo loco invenimus promptum atque paratum in difficultate nostro itinere, ut antea, consilio et opera nobis auxiliari. Quinimo adfirmare minime dubitamus eum, quum ad summum honorem, quem iure hodie adeptus est, tenderet, non ad nominis sui laudem, a qua omnino est alienus, spectare voluisse, sed potius ad Almae huius Romae; ut scilicet novum lustrum atque decus latinitati per eam compararetur. Est igitur iusta causa unde erga Franciscum Xaverium Reuss grati animi sensus publice expromamus, est unde tamquam de domestico gaudio ipsi peculiariter gratulemur; est denique unde etiam omen trahamus ut hodiernum decus ei simul ac nobis felix bonum faustumque siet.

ALMA ROMA.

Franciscus Xaverius Reuss, Bergheim Alsatiae in oppido natus an. MDCCXLII in Congregationem Sanctissimi Redemptoris Alfonsi Patris Legiferi cooptatus an. MDCCCLIX Romam venit, ubi tandem posuit domicilium, an. MDCCCLXVIII. Verum in certamen poeticum Hoeftianum descendit tantum an. MDCCCC, sapphico carmine *In hodiernum progressum*, quod magna laude ornatum est. Sequuta deinde sunt atque pari honore aucta: *Rus Albanum* (MCMII); *Ad Franciam* (MCMIV); *Hirundo Alsatina* (MCMVI); *Excidium Correlianum* (MCMVII); *Claudia Vestalis* (MCMVIII); *Diluvium* (MCMIX); *Strages Infantium Bethlehemitarum* (MCMXII); *Mnemosynon* denique hodiernum, aureo numismate honestatum, quod hic referre gloriamur.

Mnemosynon

*Est mihi Mnemosynon, materni pignus amoris;
est mihi, quem meditor saepe diuque, Liber.
Non hunc ulla tegit vel eburna vel aurea lamna,
aut quae gemmarum splendeat igniculis.
Vestit fulva librum pellis, cutis ante caprina;
hasta duplex medium signat inusta Crucis.
CHRISTIADVM SOCIVS codex inscribitur,
[estque
Dux, qui terrigenis pandit ad astra viam.
Scilicet, in variis, quibus est obnoxia vita,
casibus, orandi suggerit ille modos.
O labris tu saepe meis impressa Libelle!
O mecum ritu contumulande pio!
Usque subit memoranda dies, qua dulce volumen
sancta mihi mater, iam moritura, dedit;
Oscula quae suprema ferens, «Hoc accipe —
[dixit —
fili, munus inops, dives amore tamen.
Bissenis ego sum lustris hoc usa libello,
fertque notas digitii pagina quaeque mei.
Utere tu libro pariter, matrisque memento,
quam vel dura sinet Mors meminisse tui».«
Sic effata, parens obit; ast ego volvere coepi
carum, dum rorant fletibus ora, librum.
Ipsa in fronte micat genetricis nomen; id olim
scriperat infant, parva puella, manu;
adiecitque suum firmo pater indice nomen,
cum sibi Baptista Barbara nupta fuit.
Nata prole, liber didicit cuiusque vocamen
natalensemque, pari more, notare diem.
Codex inde refert, quas mater sueverat orto
fundere sole preces, fundere et occiduo.
Succedit series, festis aptata diebus,
mixtaque carminibus, (longa catena) precum.
En subeunt, pia templorum queis assonat echo,
hymni Davidici, grande potensque melos;
rurus acuta mihi matris tinnire videtur
vox, cum voce gravi magnisonante patris;
ac mea me rursum puerilis vocula mulcet,
edere nunc raucum murmur adacta senis.
Plurima tum sequitur variataque forma
[precandi,
ordine dum pergo vertere paginulas.*

*Poscitur hic agris pluvium sine grandine
[caelum,
fruges ne pereant ustaque poma siti;
illuc, sol ardens revocatur, ut excoguat uvam,
spicas aut virides mutet in aureolas.
Dein hominum pecudumque lues et bella
[cruenta
mergi Lethaeis cuncta iubentur aquis;
ac simul alma Salus et Pax orantur, ut orbis
arridere, Metu diffugiente, velint.
Gratia mox agitur nata de prole, parentes
cui laetos optant innocuosque dies;
et si forte necem suboli Libilitina minetur,
diluit orandi proxima forma minas.
Post, uxor vivo cupid omnia fausta marito;
aut rogat, extinctum lucida regna beent;
postremamque precem genetrix viduata solebat
fundere per longas, nocte silentie, moras.
Nec minor in me matris erat pia cura, timentis
suave iugum Christi ne malus excuterem.
Oratis aliis erat haec oratio iuncta:
«Pro nato, vitii ne gradiatur iter».
Quae pagella fuit sic tactu laesa frequenti,
ut detrita queant vix elementa legi.
O iucunde Liber, materni testis amoris!
O mihi Pactolo carior aurifero!*

DE PACE

« Nomen pacis dulce est, et ipsa res salutaris. Pax est tranquilla libertas. Nam nec privatos focos, nec publicas leges, nec libertatis iura chara habere potest, quem discordia, quem caedes civium, quem bellum civile delectat: eumque ex numero hominum eiiciendum, ex finibus humanae naturae exterminandum puto ». (TULL. *In Philip.*). Qualis autem sit illa pax, ita primo describit Augustinus, in illum Psalmi versiculum: « Iustitia et pax osculatae

sunt », dicens: « Duae sunt amicae, iustitia et pax: tu forte unam vis, et alteram non facies. Nemo enim est qui non velit pacem; sed non omnes volunt operari iustitiam. Interroga omnes homines: Vis pacem? Uno ore respondebit tibi genus humanum: Opto, cupio, amo, volo. Ama iustitiam, quia duae amicae sunt, iustitia et pax. Ipsae se osculantur: si amicam pacis non amaveris, non te amabit ipsa pax, nec veniet ad te ». (In Ps. LXXXIV).

Nec solum describit pacem Augustinus, sed et definit eximie: « Pax omnium rerum est tranquillitas ordinis ». (De Civit. Dei, lib. xix, cap. xiii).

*Non Croesus mihi te, non Attalus auferet ullus,
mille talenta licet polliceatur, emax.
Ante, libens, patiar res arctas, pauper ut Irus,
quam te vendidero, nobile Mnemosynon.
Tu mecum, quo cumque ferar, comes ibis,
[erisque
umbra sequax, lateri non adimenda meo.
Te quoties video foveoque, videre, fovere
ora simul reducis matris amata reor.
Vertere pagellam si contigit, ecce repente
spirat ab aethereis aura profecta plagis:
ales nempe animus subvectae ad sidera matris
advolitat, nato laetus adesse suo.
Vox etiam, zephyri lenes imitata susurros,
se materna meis auribus insinuat,
sicque monet: « Fili, brevis haec dum labitur
[aetas,
aeternos memori pectore volve dies.
Ne saecli capiare bonis, vanescere promptis;
gaudia te caeli, non peritura, trahant.
His ego iam potior; potieris et ipse, meam si
audieris vocem. Sed satis ista, vale! »*

*O pretiose Liber, materni munus amoris,
Admonitor gratus tu mihi semper eris.*

Unde Angelicus: «Ex quo patet quod haec ratio pacis assumitur quod aliquid non impeditur a recto ordine: tranquillitas enim perturbationem impedimenti excludit. Pax autem praecipue respicit illum ordinem quo voluntas in aliquid ordinatur; unde et tunc dicimus hominem pacem habere, quando nihil est quod impedit ordinem suae voluntatis in aliquid.

«Et similiter dicimus pacem esse in civitate, quando nihil est quod perturbet rectum ordinem civitatis, qui est ex voluntate gubernatoris.

«Et secundum etiam quod inanimata appetitum naturale habere dicuntur, ponimus unamquamque rem habere pacem, secundum quod non impeditur ab inclinatione quam habet in suum finem, quem naturaliter appetit». (*Sent.* IV, dist. 49, q. 1).

Res igitur, imprimisque homines dicuntur esse in illa tranquillitate ordinis, quorum ordo inturbatus manet.

Quum vero omnia prorsus ordinem aliquem ad alia dicant, hinc omnia tranquillitatem illam appetere dicenda sunt.

Pax igitur quaecumque, si non sit tranquillitas ordinis, sed tranquillitas iniustitiae, violentiae, incendiorum, stuprorum, scelerum quorumlibet, non est pax vera, sed summa iniustitia et deordinatio. Licentia autem haec tranquilla facinorum omnino turbanda est, damnanda, impugnanda. Quinimmo, addit Thomas, «si homo concordat cum alio non spontanea voluntate, sed quasi coactus timore alicuius mali sibi imminentis, talis concordia non est vere pax, quia non servatur ordo utriusque concordantis, sed perturbatur ab aliquo timorem inferente». (22^a q. 29, n. 1, 1^m).

Qua doctrina nihil nobilius dici sane potest. Unde rursus colligit Thomas: «Sicut appetitus potest esse simpliciter boni, vel boni apparentis; ita etiam et

pax potest esse et vera et apparens. Vera quidem pax non potest esse nisi circa appetitum veri boni, quia omne malum, etsi secundum aliquid appareat bonum, unde ex aliqua parte appetitum quietet, habet tamen multos defectus, ex quibus appetitus manet inquietus et perturbatur: unde pax vera non potest esse nisi in bonis et bonorum. Pax autem quae malorum est, est pax apparens et non vera. Unde dicitur Sap. XIV: In magno viventes in scientiae bello, tot et tam magna mala pacem appellant». (*Sum.*, 22^a q. 29, a. 2, 3^m).

* *

Ubi autem quaeiveris a quonam fonte originem ducat pax vera, hanc a Deo solo demum esse tibi respondendum erit.

Deus quippe creaturarum omnium ordinem constituit summa sapientia, attingens a fine usque ad finem, neque ullus hunc ordinem penitus intelligere atque servare potest, nisi per ipsum ordinis auctorem. De quo iterum Angelicus (*De divin. nom.*, cap. XI): «Divina pax ad omnia transit, omnia uniendo per hoc quod reducit omnia in quemdam ordinem: qui quidem ordo consistit in hoc quod quaedam extrema coniunguntur aliis extremis per media. Nam suprema influunt infimis per media, et infima convertuntur ad recipiendum a supremis per media: et sic omnia coniunguntur secundum unam connaturalem amicitiam. Et non solum divina pax coniungit extrema extremis per media, sed etiam ulterius omnia coniungit sibi ipsi, in quantum dat omnibus suo modo ut ipsa divina pace fruantur, et infimae creaturae, et quidquid est infimum in quacumque creatura». Omnia scilicet, suprema atque infima de pace divina participant suo modo, vel libere, vel non libere; bellum vero quocumque non a Deo est, a

creatura infirma tum in suo esse, tum in suis actibus.

Huius autem pacis minister Christus est, dictus «Pax nostra, qui fecit utraque unum» (*Eph.*, II). Deus pacis, cuius «in diebus iustitia et abundantia pacis» orta est (*Ps. LXXI*).

Christus videlicet ordinem instauravit homines inter et Deum, qua Mediator et Redemptor. Immo et ordinem vindicavit creaturarum irrationalium a fine suo propter humanos abusus aversarum; per Christum «quia et ipsa creatura liberabitur a servitute corruptionis, in libertatem gloriae filiorum Dei» (*Rom. VIII*). Pax igitur quaecumque a Deo est in creaturis; bellum vero quocumque a creatura ipsa, etsi Deus fieri propter iustitiam permittat.

* *

Pax illa, si ut habenda et servanda inter homines consideretur, existere debet inter homines omnes et Deum, atque inter ipsos homines, siquidem ut in societate constituendi ad invicem mutuo ordinantur, isteque omnino ordo observandus est; quod nullus vel inficiari, vel in dubium vertere, ne quidem selvaticus homo, potest.

Utrum vero nationes et populi constituti inter se mutuo ordinem aliquem dicant, res ex se patet. Homines enim aequales sunt natura, quidquid in contrarium somnient ii qui sese ceteris meliores fingunt, dum e contra ex hac ipsa fictione se inferiores demonstrant. Hinc et populi ipsi, individuis hominibus constituti, tum inter se naturam eamdem participant, tum eadem iura obtinent.

His adde varios inter se populos ex natura rerum sibi invicem bona sua communicare, tractatus et foedera inire, commercia instituere, etc.: quae non nisi aliquo ordine fieri possunt. Hunc vero ordinem bella perturbant, per ruinas, vio-

lentias, omniaque nimium nota flagitia; pax autem illum servat et confirmat.

Illi autem qui huiusmodi ordinem iniuste violent et perturbant, per odia, calumnias, superbiam, atrocitates suas tollunt, tamquam hominum nefandissimi habendi sunt, imprimis ubi se christianos profiteri non verentur, quum tamen novus homo renovari debeat «secundum imaginem eius qui creavit illum, ubi non est Gentilis et Iudeus, circumcisio et praeputium, Barbarus et Scytha, servus et liber, sed omnia et in omnibus Christus» (*Coloss. III*).

Quae principia, ubi probe intelligerentur atque ducerentur in proxim, orbis terrarum quasi faciem novam indueret: immania bella vel cessarent, vel rarissima fierent. Ubi vero nonnulli attritus orientur, ex lege christiana, in Decalogo integre contenta, componerentur; quem dum praedicat et praescribit Ecclesia Christi, «pacem universalem» ideo fovet ac promovet.

O utinam aliquando, immo ocius, ex horrendo nunc saeviente bello, id colligant homines, quod collegit Bapt. Mantuanus, christianus poeta:

Pax plenum virtutis opus, pax summa laborum;
Pax bellii exacti pretium est, pretiumque
[pericli.]

Sidera pace vigent, consistunt terrea pace.
Nil placitum est sine pace Deo, nec munus
[ad aram.]

I. I. BERTHIER, O. P.

Quae S. Ioannis Chrysostomi
in Ecclesia Graeca fuit auctoritas.

I. — DE IOANNIS SCRIPTIS.

Contentio, quam apud latinos de Horatio Flacco, summi poëtae gloriam adeptam in Musis denegantem accepimus, de Ioanne Chrysostomo, sacrorum oratorum facile principe, ut ubique hominum natura fert, eadem cadit.

Nobis vero conspicientibus qua summa auctoritate apud maiores nostros Chrysostomus valuit, in mentem venit eadem illum apud aequales usum fuisse; sed non ita se res habet.

Theophilus, Episcopus Alexandrinus, contra Ioannem accerrimas inimicitias exercuit totisque viribus (quod turpis simum, ne a mendacio quidem abhorrens) eo contendit, ut sanctissimi viri auctoritatem minueret, compesceret. Ad id turpe auxilium in Eudoxia invenit, quae odio exagitata dignissimum Episcopum, omnimode persecuta est; de qua nefaria lucta, quum hic locus non sit, nec ad rem nostram pertineat, praeterendum putavimus.

Non vero apud auctores tantum, simulantes, odia, invidiae fuerunt, sed omnia haec in universum diffusa, quorum animos invaserant inter se divisos retinebant. Longo tempore fuit necesse, ut tempestas quiesceret, tranquillitas fieret, ac pro merito de virtute doctrina que tanti hominis iudicaretur.

Ioannes anno tercentesimo quadragesimo septimo nostri aevi Antiochiae natus, huius Ecclesiae doctrinam theologicam asseruit atque contra Alexandrinorum allegoricam sententiam, quae Origenem patrem ac magistrum habuit, enixe feliciterque digladiatus est (1). Alexandrini rem pacifice non tulerunt, et in Ioannem lingua acuerunt, praesertim quum, primatum, non in doctrinis tantum, sed potius ac praecipue in dignitate sedis Episcopalis, ut iampridem fuerat, sibi vindicare cuperent. Constantinopolitana Sedes imperiali dignitati coniuncta, super Alexandrinam et Antiochenam facile excelluit; quam rem Alexandrini Episcopi aegre tulerunt ac

(1) Librum de *Allegoria et historia* (in MIGNE, Patr. graeca, 56, 60) contra Theodorum Mopsuestenum noster edidit.

non ultima nec levis invidiae causa extitit. Quum vero Ioannes ad Constantinopolitanam sedem translatus esset eiusque doctrina iamdiu invisa ab Alexandrinis tam eloquentem praecomen invenisset, veteribus nova addita simultatum causa. Asperrima lucta, longo tempore postquam Ioannes mortuus est (a. 407) superfuit, atque contra doctoris opera armatur. Plerique homines, ea quae Ioannes scriptis demandaverat prorsus ignorantes, bona vel mala fide (ut mos ferebat) contra eum pugnabant, paucis exceptis amicis, quorum gratia, tanti ponderis scripta in vulgus edita fuerunt.

Qui primus de hac re testimonium praebet, Palladius est: ipse primus Ioannis vitam descripsit ac uno tantum anno (a. 408) post mortem eius, verba refert Diaconi romani Theodori (2), qui dicebat « se cognoscere tractatus, homilias et epistolas Chrysostomi non nomine tantum ». Quae vero de Ioanne Graecus asseruit testem adhibens latinum scriptorem, eadem non multo post (a. 421) latinus affirmavit testem adhibens Graecum scriptorem. Diaconus Anianus de Celeda suo Episcopo scribens in praefatione ad Commentaria S. Matthei quae ex graeco in latinum sermonem converterat, ita loquitur: « Certe quod ab aliis quoque pluribus audire potuisti, omnes iam ecclesiasticae graecorum bibliothecae, post tam varias veterum scriptorum splendidasque divitias, post tot insignium magistrorum tam clara lumina, huius (Chrysostomi) praecipue volumibus ornantur » (3). Anno circiter 440-50 apud Socratem in historia Ecclesiastica (vi, 4) scriptum invenimus: « Nihil dicere volo de eius (Chrysostomi) scriptis de eorumque puleritudine quum omnes

(2) PALLADIUS. *Dialogus de vita S. Ioannis Chrysostomi*, c. XII, MIGNE, Patr. gr. 47, 40.
(3) MIGNE, Patr. gr. 58, 977-8.

qui velint, ea perlegere atque ex iis utilitatem capere possint » (1).


Id temporis, Isidorus Pelusiota in Aegypto cuidam Heraclio scribens (2), eumdem arguit « quod ignoret Ioannis opera tantae doctrinae hominis (*πάνσοφος*), cuius fama totus personat orbis. Revera, — ait, — quis eius scriptis non rapietur; quisnam Dei providentiae gratias non habuerit eo quod post hunc virum in lucem editum, divino sonitu huius plectri oblectari potuit, quo ille, potior Orpheo, non feras, sed homines a ferino cultu revocaverit? ».

Eadem benevolentia affectus Sanctus Nilus abbas, qui iam Constantinopoli praefecti munere functus erat, in Epistola ad Valerium (3) ita loquitur: « Deus hominem Philemone ac Theophilo longe maiorem donavit in Episcopo Constantinopolitano Ioanne, cuius aureae eloquentiae fluminis laudes per ora multorum celebrantur ».

Ad rem adduci possent duo epistulae eiusdem Nili ad Arcadium, quibus sanctus Abbas de exilio Chrysostomi Imperatorem arguit, nisi forte circa earum authentiam graviter esset dubitandum.

(*Sequetur*).

Doct. ALEXANDER AURELJ.



De Artis sacrae excellentia et indole

Praecellens artis sacrae dignitas hoc gemino verbo continetur. Si cuivis iam arti, utpote aliquid de creatrice virtute participant, iuxta alias a nobis dicta, (1)

(1) MIGNE, patr. gr. 67, 612 C.

(2) *Epistolae lib. V*, 224 (MIGNE, Patr. gr., 78, 1317 et 20).

(3) *Epist. (183) ad Valerium*: in MIGNE, Patr. gr., 89, 296, B.

(1) Cfr. an. I, fasc. II.

ingenita nobilitas iure tribuitur, longe sane praeminet ars cultui sacro devota, quippe cuius est non modo domus Dei splendorem augere, sed et apostolatus ipsiusque divinae laudis esse praeconem.

Ast, quo magis excellit hoc munus, eo severius ab arte sacra exigitur ut indole sua tam alto fini respondeat. Quod tunc unice attinet, si vere sit quod vocatur. Iuvat proinde attente perpendere, quaenam sint principia quibus ars sacra regatur oportet, aut, aliis verbis, quas habere debeat qualitates, ut praeobile suum valeat ministerium exercere (2).

Liceat has qualitates distingue in negativas et positivas. Non quasi dentur re vera qualitates, quae in negativo elemento unice consistant. Omnis enim qualitas fundatur in ente, et omne ens, ut ens, positivum est. Vitium enim cuiusdam recentioris scholae, quae virtutes in positivas et negativas dispescit, in hoc nostro quoque argumento est sedulo vitandum. Negativas tamen vocamus qualitates illas, quae forma negativa facilius exprimuntur, quemadmodum et theologi perfectiones divinas in positivas et negativas distribuere solent, licet quidquid de Deo praedicamus, sit infinite positivum.

Hoc sensu recte explicato, prima qualitas negativa, quam in quovis artis opere iure exigimus, in hoc residet, ut religionem non offendat, id est, ut non pugnet cum doctrina dogmatica vel morali Ecclesiae, nec in liturgicas praescriptiones peccet.

Ars sacra iugis est praedicatio. Inde Historiae sacrae et Evangeliorum scae-

(2) Plures alibi de hoc argumento egimus, imprimis in concione apud Conventum Eucharisticum anno 1898 Bruxellis habitum: « *Principes d'art religieux* », et in altera habita Brugis in Congressu archeologico historico anno 1902: « *La voix de nos Primitifs* ».

nae super parietes templorum a pictoribus expressae, *Biblia pauperum* olim vocari solebant. Quare summi est momenti, ut a doctrinali traditione Ecclesiae ne in minima quidem parte aberrent. Oportet ergo artificem sacrum versatum esse in doctrina christiana, aut saltem ducem habere in sacra disciplina peritum. Hinc tantus affulget in operibus mediae aetatis dogmaticus splendor, haud secus ac in divina comoedia Dantis. Inter moderna artis sacrae portenta placet hic ob doctrinalem pulchritudinem commendare, mirandum, sacrum illud cubiculum quod Ludovicus Seitz, vir pietate non minus quam arte conspicuus, in Lauretana basilica depinxit. Quod Marianum poema qui studiose intuetur, haeret quid maiore laude extollat, utrum pictoram magnificantiam an syntheticae doctrinae profunditatem.

Sane quadam indigent libertate artifices, ut unica graphicis scaena exprimant, quae non sine quadam successione acta sunt. Ita in Christi baptismate licet effingere Iesum Patris voce glorificatum dum a Praecursore baptizatur. Patet tamen ex attenta Scripturae lectione, hanc vocem de caelis apertis non intonuisse nisi quando Christus iam de Iordanis undis in ripam ascenderat. Ex Evangelii pariter constat, dormientes sepulcri custodes non a Christo resurgentem, sed ab angelis lapidem a iam vacua tumba removentibus fuisse excitatos et exterrefactos. Et tamen solent eos pictores et sculptores veluti a Christo redivivo effugatos exhibere. Utraque sane licentia quadam traditione recepta est. Iuvat tamen ut oralis praedicatio huic licentiae suppleat, ne fideles in errorem inducantur. Non enim altiori sensu va-

cat, quod Patris vox non prius Filium commendarit, et sepulcri custodes redi vivum Christum cernere non potuerint.

Porro si artis sacrae opera fideliter debent doctrinæ christianæ consonare, mores quoque castos et verecundos eadem sedulo fovere oportet. Absit ergo ut, artis prætextu, fidelium oculi vel in ipsa Dei domo obiectis provocentur, quae non solum mentis recollectionem parum stimulant, sed, quod longe gravius est, dum christiano destituta pudore, sensualia insinuant, si minus ad peccata sollicitant, perturbant saltem et ab oratione distrahunt animum. Sint igitur christiana templa artis splendore fulgida, sed tali, qui in Deum et sancta intuentium oculos mentesque velut i radiantibus alis attollat. Heu nimis ab aetate quae vulgo « Renascentiae » appellatur, nimia indulgentia hac in re conceptus pervertit; quae non ultima causa dicenda est, cur opera profanae artis in nostris templis conspicentes profano quoque modo se in eisdem gerunt. Nil ergo in domo Dei ingredientium conspectui offeratur, nisi quod, sacrae loci indoli consonum, ad orandum et nolentia corda veluti constringat.

In liturgicis quoque præscriptionibus artem sacram offendere non debere, manifestum est; quod maxime de musica sacra est alte tenendum. Absint igitur fastidiosae repetitiones quae sententiarum nocent nitor et ipsum sacerdotem sacra litanter immorantur. Quod minori tamen indecentia producitur in hymno *Gloria* et in *Credo*, quum per hos cantus soleat celebrans sedere. Nisi tamen nimia is mora amittat patientiam; sicut ille lepidus forte magis quam pius, qui, dum in *Credo* canerentur verba: « cuius regni non

erit finis », his ultimis verbis: « non erit finis » iam ad infinitum prope iteratis, nec tamen absolutis, exclamasse dicitur: « Ecquid expecto, si non erit finis ? », ac dein robusta voce choro silentium imposuisse cantando: « Dominus vobiscum ».

Ubi autem determinata repetitio ab ipsa liturgia imponitur, uti in *Kyrie eleison*, *Christe eleison*, *Kyrie eleison*, eu randum est sedulo ut symbolicus numerus reverenti modulatione servetur.

Nec sufficit ut ars sacrae doctrinæ morum, liturgiae dictamina servet. Oportet insuper ut quidquid theatrale sapit, summopere fugiat. Criteria igitur quae paucis abhinc annis piissimae memoriae Pius PP. X in pluribus documentis de musica sacra expressit, et de artibus plasticis valere dicenda sunt. Theatralis quippe ars nimis est humanis passionibus nutrita atque plasmata, quam ut spiritualia digne valeat celebrare. Carter enim placida sobrietate et mystica quiete, quae sunt ordinis supernaturalis charismata. Quin et ipsa corporum species subtili veluti castimoniae est obtenga velo, quod pulchritudinem a sensuum blanditiis purgatam adauget. Cuius artis princeps celebratur magister Beatus ille dictus inde iure Angelicus.

Absit tamen ut haec ars suprasensualis in imperitia formarum consistere ingenue censeatur. Longe differt frigiditas, quae a fossili derivatur archaismo, ab hac arte spirituali ac nobiliore, quam modo describere conati sumus. Quae si passim quadam rigiditate non caret; haec rigiditas, ab inurbanitate valde remota, austerioritatem quidem sapit, at nec ignorantiam nec altioris pulchritudinis despectum. Inde tertia artis sacrae veluti negativa qualitas in hoc resideat,

quod artistica peritia profanae arti nequaquam cedat. Sicut orator sacer, si munere suo dignus esse cupiat, profanae quidem eloquentiae ornamenta ac veluti stratagemata spernit, imo theatrales accentus et motus devitat, ut intentius audientium mentes argumentorum splendore illuminare et affectuum ardore corda ad superna provehere possit; — quod ad obtainendum ars requiritur eo nobilior, quo magis appetit solitis adminiculis destituta; — ita pariter agere debet quicumque artis sacrae eloquio Dei laudem canere et fideles in divina attollere cupit. Cuius proinde opera, nedum peritia debeant aliis operibus esse inferiora, quasi sacra eorum indoles in nuditate resideat, oportet e contra ut dotibus altioris ordinis compensent qualitates arti profanae proprias, quas, ut vere sacrum sapiant, generoso sacrificio debent abdicare. Sed de hoc alibi plura.

Ut autem in templis non admittantur nisi artis sacrae opera tanto munere digna, oportet ut, qui templorum et cultus divini custodiām habent ac regimen, ministri scilicet altaris, hac in re, per tyrocinium quo se ad pernabile suum ministerium disponunt, a peritis magistris sedulo instruantur. Et sane, nonne dolendum, tam saepe opera merito destituta deturpare tempula nostra potius quam ornare, quia clerus eisdem addictus rei artisticae est undeque aut saltem prope ieiunus ? Quo fortius id lugendum est ubi adhuc occurrit, eo maiores Deo agenda sunt gratiae de artistico apostolatu qui in variis regionibus ab hisce ultimis annis tam uberes fructus iam peperit. Laudem peculiarum in Ausonia sibi merentur ephemerides ab *Arte Christiana* nuncupatae, quibus praesunt scri-

ptores ingenio clari, davidica prorsus laude digni: «Dilexi decorem domus Dei».

Haec de qualitatibus quas negativas diximus, pro scopo nostro satis.

Positivas artis sacrae qualitates proxime, Deo dante, evolvemus.

LAURENTIUS JANSSENS, O. S. B.

Ingenuarum artium specimina

« ECLOGA », I. BRUZZI TABULA.

Eclogam scriptores nonnulli appellarent singula carmina breviora, quasi essent electa a multis quae in eo genere scripserunt et non edidissent. Vergilii vero ad exemplum, qui bucolica *Eclogas* inscripsit, factum est, ut pastoralia poematia omnia hoc nomine et hodie vocentur. Sic I. Bruzzius incundissimae tabulae a se pictae, quam lectorum oculis hodie subiicimus, *Eclogae* nomen indidit; quamquam ego *Edyllium* maluerim appellatam. Nescio enim quid specie suavius (*Edyllium* namque id sonat) neque poetico carmine describi possit, neque coloribus repraesentari. Candidas eas, mites, innocentes oves si cum virgineo candore ex illa earum custode manante contuleris, non negabis profecto alterum altero ita perfici atque absolvi, ut unum fiat, quod ad pacem hinc undique fulgentem magnis precibus invocandam, inevitabiliter intuentem conducat.

Redeat igitur illa tandem universo orbi caeruleae ramum praetendens oliveae, atque aeterno complectens omnia nexus!

X.

CASTRENSES EPISTOLAE⁽¹⁾

Sacerdos Ludovicus Wagenheim, legioni gallicae addictus quae in castris se exercet, ita nuper scripsit:

« Capellanus noster militaris, solemnem instituturus supplicationem a Summo Pontifice indictam ad impestrandam pacem, supplicibus precibus praemittere voluit brevia « Exercitia spiritualia ». Et haec quidem felicissimum habuerunt exitum; nam omnino frequens fuit militum concursus ad sacras conciones, multique eorum ad implenda officia boni christiani accesserunt aut revocati fuerunt. Quod ubi vidimus, sacram Ministrum induximus, ut toto tempore Quadragesimae pia huiusmodi exercitia, ad modum continuatae missionis, prosequeretur, accitis ad hunc finem aliis mecum legionis sacerdotibus. Iam octo dies praeterierunt, ex quo huiusmodi pios conventus celebramus. Ter in hebdomada veritates Fidei modo ab uno, modo ab altero sacerdote annuntiantur. Distributa simul fuerunt centena exemplaria « Enchiridii christiani militis », in quo, praeter brevem doctrinam de religionis mysteriis, praecepsis et sacramentis, preces adduntur matutinae et vespertinae, et quae intra sacrificium Missae, ante Confessionem et post sacram Communionem recitandae sint, adiectis canticis popularibus com-

(1) Non unis nostris lectoribus placuisse videtur epistola castrensis, quam sub titulo *Solatia in adversis* superiore mense Ianuario in nostro Commentario edidimus. Eam enim, anglice redditam, insertam vidimus in duabus ephemeredibus Americae septentrionalis; et hispanice conversam, in ephemerede *Lux y Vida*; quamquam postrema haec fontem indicare omisit, unde narrationem desumperat. Idemne et de iis fiet, quas hodie vulgamus?

muniter usurpandis. Mirati autem sumus optimam voluntatem plerorumque militum, qui aperte et contempto humano respectu christianos sensus ac mores prae se ferre non erubescunt. Quae omnia laetam nobis spem ingerunt de copiosa messe colligenda confessionum et communionum paschalium.

quuntur, missa ad nos fuerunt a milite E. Baudry ex ipsa acie, seu potius e fossa militari, quae a fossis hostieis vix spatio mille pedum distat:

« Ad fossam nostram acceditur per aream tectam, in qua instrumenta fosorum asservantur et materiae ad fo-veas muniendas, uti fasces virgultorum,



« ECLOGA », I. BRUZZI TABULA.

Praeterea a duobus fere mensibus amplum habemus conclave, quo vespere convenient sacerdotes et clericis militiae adscripti. Ibi vita clericalis et caritas fraterna foventur, sive per amica colloquia, sive per lectionem spiritualem et orationem vespertinam, qua finis impunitur conventui ».

* *

Et haec quidem de castris referuntur ab hoste longinquis. Quae autem se-

corbes terra implendae, sudes et fila ferrea spinosa. Ibi etiam angulus est, in quo miles vestes mutare, et lavare se potest; ac praeterea loculi aliquot disponuntur, in quibus grabatula sunt paleis confecta. Accedit fornacula, in qua calefiant cibi, qui militibus frigidi et aliquando congelati afferuntur, et culinaria quaedam utensilia in pluteo deposita. Ii milites, qui in prima acie, seu in fossis hosti proximioribus stantur, alternis vicibus interdiu noctu-

que aut excubias agunt, aut alias occupantur, aut quieti indulgent. Certis dein intervallis, e prima acie ad secundam redimus. Ibi, purgatis armis vestibusque et abluto corpore, totam noctem dormire licet. Interdiu autem fit exercitatio armorum et militum lustratio; item fossae suppletoriae cavantur, sudes quoque et fasces cum coribibus apparantur.

Tum etiam aliquanto plus otii suppetit ad cogitandum de aeterna salute et ad orandum, quamquam in prima quoque acie huiusmodi pios sensus excitare solet frequens, quae ex oppositis fossis erumpit, grando plumbea, et formidolosum tonitru maiorum ballistarum, globos ferreos necemque crebram evomentum».

ARCHAEOLOGICAE RES

MONS PALATINUS ET «MUNDUS».

Magnas equidem Iacobo Boni, clarissimo viro gratias agere debet Roma, qui laborum patiens nullisque parcens angoribus, in Monte Palatino adsidue omnia secreto perscrutatur. Eius enim virtus est, si *Mundus* nunc tandem in lucem adparuit.

Mundus erat apud veteres fovea, in media urbe condenda, eius quodammodo praecordia bonumque omen aedibus mox exstruendis.

Sed omnia ordinatim adgrediamur.

Ipse enim clarissimus vir, postquam alacri studio ac pertinaci ad atrium aedium imperialium pervenit, atque *impluvium* comperit, multo maiora animo praesagiens ultra progressus est. Namque divino veluti spiritu afflatus, morem Romanorum iure secutus, praeter omnium recentiorum opinionem, qui hac potissimum aetate omnia superbe vetera

susdeque perturbarunt, ad capsularum illarum vestigia feliciter accessit, quae *Pagum* latinum ante ipsum Romulum referunt.

Constat enim inter omnes, qui vel e limine rebus Romanorum antiquis valedixerunt, *Pagum*, apud vetustissimos Romanos, domorum aliquot adiunctionem fuisse, ubi praesertim editioribus locis complures habitare consueverunt, ut se ab hostiis incursionibus facillime vindicarent. Hinc *pagani* passim aduantur huiuscemodi oppidorum incolae. Hac arte ingenioque noster ulterius productus, iugis Evandri collum certissime praesignatis, exploravit aedium imperatorum *perimetron*, maximique momenti casas invenit tempore reipublicae, fundamentis excisis aedium Tiberii et grandibus Caligulae, Neronis ac Domitiani palatiis.

Ex hisce autem novis praeclarissimorum rerum repertis, audax atque effrons recentiorum opinio, quae inter aniles fabulas, primas historiae romanae narrationes conferebat, funditus omnino revertitur, et clarior iterum in dies, uti sol ad meridiem splendescit, veritas romanorum gestorum eorumque certitudo ad nos hilarandos, reddit. Post *impluvium* ipse fortunatissimus pervenit ad magnos quoque lapides quadratos, quibus Romani sacrarium subterraneum operabant, quodque in *tholi* formam concludere consueverunt.

Hinc *tholus*, si sacrarium Cereris resignat, aetate Neronis est enorme operculum *Magni Macelli*.

In imo sacrario cuniculus deducebatur verticalis usque ad *favissas*, quae in montis visceribus profunda duodecim mensuris erant effossae. Sacrarium inter et *favissas* erat *lapis manalis*, qui ter in annum, diebus sacris atque in kalendario romano adsignatis, religiose removebatur, dicendo: *Mundus patet!* Hi dies so-

lemnes nono kal. Sept., nonis Octobribus, quinto idus Novembres celerabantur, in messium festis atque in seminis autumnalis divisione.

Sed hic *mundus*, Romae omnino iam erat absecunditus, vel ipsa florente republica; aetate vero Augusti frusta est conquisitus. Ex sententia autem Iacobi Boni, inter prima Punica bella et civilia cuniculus fuit ad horizontem interceptus ad Urbis incolumitatem, qui favissas mundi oblique amputavit.

In domitianis aedibus, vel in ipso Palatii vestibulo, Bonius in explorationibus insistit, eo praesertim nomine, ut certior fiat num extra murum ubi Domitiani solium erat, inveniri *favissae* quaedam possent, in quibus Romani, sub Regum dominatu, segetum semina in *mundo* condebandit, in civium commodum et salutem.

Quae quum ita sint, multa sunt brevi renascitura, quae iam periisse putarentur. Hinc licet nobis nec inani gloria dicere: Quot rerum novitates nos forte proxime manent! Quot antiquitatum divitiae, quot monumenta! Ager enim Romanus, qui est in Palatino, hac nostra potissimum aetate, videtur optimo cuique magistro adsignari, ut eius secreta

atque thesauros sapientia haurire possit, quae tot seculis et barbarorum incursione et temporum iniuria penitus obruta, nunc tandem ad novum decoris splendorem reviviscent. Sed inter omnes acerrimi iudicii viros ac perseverantiae,

qui hoc tempore celebrantur vel apud exteris gentes studio antiquitatis atque ingenio, Iacobum Boni ponere haud dubito; et hoc mihi facile concedent, qui egregiam hominis mentem consideraverint ac divinum prope prae sagium, quo ad res perpetuo inveniendas in imis terris defossas, Roma admirante, rapiuntur. Quod ei omen felix, faustum fortunatumque siet!

SENIOR.

ANNALES

Przemysl, validissima Austriacorum arx, praeter Carpates montes ad arcton contra hostes propugnaculum, sex iam menses a Russis acerrime obsessa, post supremam eamque infelicem militum eruptionem, fame ac morbis cogentibus, destructisque prius ex consulto munimentis omnibus, die XXII superioris mensis Martii in deditio nem venit. Hic *praecipuus* per eundem mensem *Europei bellum eventus*, cuius consequentias praedicare nemo nunc potest. Datumne inde erit Russis in Hungariam tandem descendere, an Teutonis mature providere licuit, ne montium fines hostes victores praetergrediantur? Illic certe nunc cruentissime pugnatur, magno impetu novisque copiis nitentibus Russis tamdiu optatum consequi finem. Qui quidem, numero superiores, prima Germanorum agmina a Presnysz urbe facile prohibuerunt; at in silvis ad Augustow victi sunt, nec valuere Memel, germanicum nordicum oppidum, post nonnullorum dierum occupationem retinere.

Quamquam nec Germani notabiles successus in certaminibus suis reportarunt. Si enim Reichsackrkopf, Alsatino colle, potiti sunt, ulterius procedere nequiverunt in Gallia; quinimo munita valla nonnulla hostibus cedere per vim coacti sunt, et, prementibus Anglis, fines suos citra Neuve Chapelle et Saint Eloi oppida retrahere.

Per Zeppelinias praeterea aeronaues ad Lutetiam Parisiorum iter moliti sunt, noctuque illuc quum pervenissent, incendiarias pilas iecerunt; hae vero, si timorem multum, nulla tamen damna urbi apportarunt. Galli tum par pari retulerunt ad Metz atque Friburgum.

Turcae autem, post inutilem conatum El-Kantara arcem, praeter Suez fretum, expugnandi, dicuntur huiusmodi loca omnino deseruisse, ne forte in via interciperentur ab hoste, in Asiam Minorrem et Gallipolitanam paeninsulam appulso. Ipsi strenue Byzantinos sinus suos inde a Russis defendere pergunt, hinc a Gallis et Anglis simul operantibus, quorum loricatas naves Ocean, Irresistible ac Bouvet demerserunt; Gaulois autem aliamque navem, cuius nomen latet, graviter pessum dedere.

Sed iam ad maritimos belli casus devenimus; de quibus unice addendum, cursoriam Germanorum navem Dresden, quae mense Decembri MCMXIV ad Falkland insulas Anglorum incursum effugerat, quum in Anglicam classem iterum in meridionali America incidisset, prope Chilena litora, potius quam in hostium manus traderetur, incensam ab ipsis classiariis fuisse, qui sese apud Chilenam civitatem, neutri parti faventem, in tutum receperunt.

**

Albania sui rursus exigit mentionem. Etenim, circa finem elapsi mensis, rebelles in Dyrrachium, urbem nunc Essadi principis caput, vim suam, incassum licet, experti sunt, occasionem nacti fortasse ex nonnullis dissensionibus inter Essad ipsum et Bid-Doda, quarum causa non longe abfuit quin utriusque viri asseclae ad S. Ioannem de Medua manus consererent. Nondum igitur placidus illic satis rerum status; nec, aedepol! in **Lusitania** melior, ubi Pimenta Castro militum praefectus tam rigidis rationibus civitatem moderari fertur, ut Barreto, popularis factionis principem adduxerit ad movendam coniurationem, ad tempus tamen detectam; et Bernardinum Machado, novae republicae auctorem primum, ut nomen suum daret

inter supremi administri adversarios. Quamquam huiuscemodi discrimina inter popularis gubernii factiones circumscripta videntur, remota quavis regni regiminis instaurazione.

**

Quid denique de Mexico? Duo nunc ibi publicis rebus praepositi: Carranza, Verae Crucis in urbe, ac Zapata in urbe Mexico. Alter autem alteri in violandis non incolarum modo, sed exterorum iuribus praestare studet: ita factum est, ut Foederatae Septentrionalis Americae Civitates bellicas naves in illas regiones ad suorum tutelam miserint.

Ultra ne tandem procedant? Nuncii docebunt.

POPULICOLA.

VACUI TEMPORIS HORA

Qui de carne et vino in superioribus fasciculis egi, hodie de pane nonnulla dicam; quod argumentum ad nostros dies propius accedit, quum inopia frumenti ad uniformem rationem hoc supremum confiendi vitae alimentum non solum italicae nostrae civitatis reatores induxerit. Habemus sic omnes vere «panem» si e graecanica voce *πᾶν* cum Isidoro huius verbi originem repetamus; satisque sit quod non *primarius*, sed *secundarius* panis iste «unicus» nobis apponatur.

Sit etiam *cibarius*, scilicet non delicatus ille, quem servis tantum antiqui comparabant; sit, si placet, *silingineus*, hoc est ex huiusmodi genere tritici; sit *azymus* (non fermentatus), *acryzimus* (leviter fermentatus), vel *fermentarius*; sit cinere coctus et reversatus, *subcine-*

rius videlicet, sive *focaticus*; sit deinde *rubidus*, *recoctus*, *rubefactus*, aut etiam *clibanitus* (in testa coctus); at sit saltem quovis alieno intrito vacuus, ac nutritor; neve *sfungia* madentibus praebatur, panis scilicet aqua diutissime laxatus, ita ut similam modicam acceperit et fermentum modicum, habeatque plus quam deceat humectationis.

**

De saevissimo bello, unde Europa fere omnis vexatur, huc usque consulto tacui; quoniam vero, indirecte quamquam, alteram ex eius funestis consequentiis, caritatem scilicet, attigi, tristi in argumento hodie insistam, notulasque alias a re non alienas addam.

Quaestionem ne unquam vobis posuistis quo longissime proeliorum fragor audiatur? Vir physices doctor in ipsam recens sedulo intendit, monuitque ex aëris conditionibus rem maxime pendere. Boatus scilicet pernicietas, quae ad temperiem 0° est in singulis momentis metr. 19.800, ex via qua ventus spirat immutationes patitur: si ventus enim e contrario efflet, bombus sublimis tollitur, parumque in terris auditur. Aëris namque «pelluciditas acustica», cuius maxima habenda ratio est praebatus in aëre vibrationibus supputandis, eo invenitur maior, quo minores aëris undae profluant, ad perpendicularum praecipue, quum deviationum eae causa potissima exstant. Ita fit ut splendente aestivo sole aër bombum non longius adducat; per nebulam, contra, densam licet, atque per ipsam nivalem procellam, optime fragor transvehatur. Eadem ratione uniformem magis aër sese offert in lata aquae extensione et in glacialibus sedibus, quam in terris. Sic Youngus invenit in Herculis freto humanam vocem per sexdecim et ultra

chilometra produci, exploratoresque poli vera narrarunt quum professi sunt sese maximis intervallis cum comitibus suis colloqui potuisse.

Huiusmodi itaque favorabilibus aëris conditionibus positis, tormentorum bellicorum fragor ad centena chilometra audiatur datur. Sic in bello quod an. MDCCCLXX inter Galliam atque Borussiam gestum est, quadam nocte Dieppe in urbe, a Lutetia Parisiorum chilometra centum et quadraginta posita, tormentorum bellicorum Galliae caput oppugnantium bombus perceptus est, pariterque e Luxemburgi incolis percepti sunt fragores tormentorum ad Sedan, quod oppidum centum et viginti chilometra distabat. Quando denique anno MDCCC ad Augustam Taurinorum incensa fortuito est dynamitis pulveris fabrica, bombus Luganum in Helvetiam usque repercussus est, scilicet ad chilometra centum et quinquaginta.

Quamquam, quo maiore intervallo naturae phenomena ad sensus feruntur!

**

Hoc pariter belli tempore de subaqueis lintribus eorumque non prius cognitis in navalibus pugnis singularibus virtutibus frequenter legimus, pariterque et de periscopio illo, quod iure «subaquei lintris oculus» meruit appellari. Id enim instrumentum est quod externas imagines colligit easque in absconditam navis partem navarchae transmittit. Absit implicitam satis et ad optices mysteria unice spectantem rationem hic me describere velle, per quam imagines et accipiuntur et tradantur; verum nec difficile, nec inutile explicare saltem elementa, quibus periscopium non in subaqueis tantum lintribus, sed in terrestris belli quoque fossis identidem, a Flandria ad Caucasum, apparatur.

Fingas tibi metallicam fistulam, cuius extrema altera pars solo aut aquae superemineat, altera in ima fossa aut in visceribus subaquei lintris terminet. Superioris est imagines colligere; idque speculo efficitur ad angulum 45° aptato. Huic speculo speculum alterum ad fistulae imum respondet, pari angulo, sed opposita inclinatione locatum, in quod observatoris oculi intendunt. Haec periscopii summa; atque superfluum est addere huiusmodi principium vitreis lentibus explicatum atque perfectum esse, aliisque adiectis instrumentis, quae obiectorum situm signantius valeant indicare; ut et nautica ea pyxide, quae patefaciat ubi alia quaevis navis sit, ac telemetro ad statuendam obiectorum longinquitatem, etc.

Periscopium huiusmodi si proculdubio evadit subaqueo lintri utile, imo necessarium, in damnum quoque navis ipsius vertitur, quando speculator hostis eius insidias detegit per emergentem fistulam partem, quae tamen infra scaphae corpus facile demitti potest.

Utinam ne unquam necesse fuerit eam in fratum exitium ac perniciem extollere!

**

Iocosa.

— Hoc equidem duco alienum esse ab honesto caupone, frustum assae carnis afferre, quod non secus atque tantulum iusculi cochleari sumptum, quis possit haurire.

— Noli prius queri quam hunc cibum dentibus arripueris; cui madendo multum sane temporis tribuendum tibi fore senties.

**

— Quam vidi actionem in theatro ea est, ut nesciam profecto comoediam an tragœdiā eam dixerim.

- Equis illius finis?
- Per matrimonium.
- Quid dubitas? Tragoedia est.

**

Aenigmata.

I.

(vulgo *Rebus*)V^{ge}
diam I

II.

Pictor ego notus, vivaces exprimo vultus
Qui vult depingi, preeferat ille genas.
Exigo dumtaxat quod det mihi quisque

[colores;

Insolitae non est hoc grave legis onus.
Est mea in arte modus (mea nec sententia

[lactat)

Non operi tardus; nam manus arte volat.
Quae vos mirantes rapient spectacula pro-

[mam;

Ars mea docta nimis plura videnda dabit.
In positu vultus ubi pingitur unius icon,

Pingam ibi bis centum protinus ora virūm.
Multiplicis species nunquam turbabitur oris;

Non detrimentum plurima forma parit.
Cunetes inde brevi vultus ego tempore tollo,

Si tamen ad fabrum quisque redire volet.
Tunc proprias cunetes subito monstrabo

[figuras:

Est opus argento, monstrat ut ora nitor.
Ut fatear crimen, delictum et sponte revelem,
Gestare argenti pondera tergus amat.

(Aenigmata in superiore numero proposita his respondent: 1] *Manasses*; 2] *Aristotenes*.)

Iosfor.

Felix est, non qui aliis videtur, sed qui sibi.

SENEC., *De remediis*.

“Almae Romae,, Anthologia⁽¹⁾ Pyloclastrum sive Pettardum.

(E. FAMIANO STRADA, dec. II, lib. X).

Admoveri iubet Rhenanam ad portam aeneum pyloclastrum, — pettardum vocant, — novum per haec loca portarum excidium. Quid illud sit, quoniam in Bonensi aggressione videndum se primum dedit, paucis cognoscere haud importunum habeo. Est haec machina fusi ex aere vas, forma mortario non absimile: immo in Iuliacensi bello ad subruendam Aldendorfii portam, adhibitum a se fuisse ex *aromataria officina mortarium*, Tensinus, talium machinator, et scriptor enarrat. Magnitudo illi varia: ea nunc maxime probatur, quam gestare, ac pallio tegere miles non imbecillus queat, adeo cuniculos non modo sub terram fodere, sed etiam nobiscum ferre excogitavimus. In latere ansulam habet ad suspendium, et ab imo propemodum fundo palmaris prominet ad inferendum intro incendium canaliculus. Ubi autem inditum vasi bellicum pulverem malleo presserint, atque ad os usque constipaverint, summumque os stupeo obturamento, ac cerata ad extremum tela concluserint roboreum assem latitudine vasis ampliorem, ac ferrea cruce firmatum eidem ori superaddunt, adstringuntque eo nempe consilio, ut per illud additamentum, fracturae plus fiat in ostio, quam sola mortarii latitudo faceret, angustiorem videlicet, imparemque subituris militibus apertioem. Tem-

(1) FAMIANUS STRADA, Romae natus anno MDLXXII ibique vita functus anno MDCXLIX per multos annos rhetorice docuit in Collegio Romano S. I., in quam anno MDXCI ingressus est. Maximum eius opus *De bello bellico*, quod in decades divisit, in plures sermones conversus est, et ob styli perspicuitatem, nisi diligent historica narratione,

peratum hoc modo pyloclastrum post terebratam, quae impetratur, portam, terebramque ibidem clavi loco relictam; ex ansula ad terebram alligata suspenditur, ore medias in fores verso, ac per sulphuratum fomitem, qui canaliculo est insertus, incenditur. Tum vero flammis, ferratoque asse in portam arietantibus ineluctabili plane vi, quanto contumacius obstatur, tanto impotenter obiectum quodecumque repagulum in frusta conciditur, ostiumque hiatu vastiore dispenditur. Sic una demum reperta est clavis, cui (quod nullis fabrum ferramentis, nullis furum effractariorum scalpis adhuc contigit) serae, obicesque portarum omnes, adapertiles sint.

Delegit F. FALCONIS.

Libri dono accepti

Card. ALFONSO CAPECELATRO. *La vita di Gesù Cristo*. Nuova edizione stereotipa. — Romae edid. Desclée et soc., MCMXV. (Vol. 2, ven. libell. 6).

FRANCISCUS VARVELLO, Philosophiae professor in Seminario Salesiano apud Taurinenses. *Institutiones philosophicae*. Vol. I complectens *Ethicam*; vol. II complectens *Ius naturae*. — Ven. lib. 8,50 apud Librarium Internationale Editricem (S. A. I. D.), Augustae Taurinorum.

NICOLAI CAMPIFORTIS acute dicta latine vertit IOANNES BAPTISTA BELLISSIMA, Prof. litterarum Latinarum et Graecarum in lyceo Senensi. — Senis. ex off. typ. S. Bernardini, MCMXV.

DR. G. B. BELLISSIMA. *Studio sui «Captivi» di Plauto*. — P. I. Pensieri — Indidem.

multam laudem obtinuit. Non tamen unice soluta oratione auctor ille scripsit; quin imo multa, eaque iure celebrata carmina edidit, heroicis Latinos poetas optime sequutus. In his memoratu digna: *Chori militares*; *Momus, sive Satyra Varroniana*; *De pixide cryptologica*; *Fidicinis et philomelae certamen*, aliaque.

ROMA SACRA

S. Congregatio Studiorum.

Academiae Romanae S. Thomae Aquinatis statuta iussu SSmi. D. N. Benedicti PP. XV retractata.

I. Romana S. Thomae Aquinatis Academia eo spectat, ut Angelici Doctoris philosophiam illustret, defendat ac tueatur. Sermone utitur latino. Praesident eitres S. R. E. Cardinales; quorum Cardinalis Praefectus *pro tempore* sacri consilii studiis regundis prior loco est: adsunt a secretis seu a commentariis adiutor unus cum duobus subadiutis; quibus munus mandatur in triennium, mandatumque iterari licebit. Complebitur Academia magistros, sodales et alumnos; alumni autem doctoris conferre lauream, eosque doctores renuntiatos sodalibus adgregare potest.

II. Magistri minimum semel in unaquaque anni academici hebdomade S. Thomae libros de rebus philosophiae perlegant, praesertim utrosque Commentarios in Aristotelem et in Boethium: disputationes alumnorum, quae et ipsae hebdomadales in altera anni scholastici parte debent esse, moderentur; et una cum sodalibus, quid quisque alumnorum in doctrinae experimentis meritus sit, iudicabunt.

III. Alumni adsciscantur spes bonaë adolescentes, qui quum in philosophiae studio ordinarium trium annorum spatium conferent, sacrae theologiae dent operam *textum* adhibentes ipsam Summam S. Thomae. Iisque in statis disputationibus syllogisticis, quae quidem tum de thesibus, quas sacrum consilium studiis regundis die xxvii mens. Iulii MCMXIV approbavit, tum de aliis fient, quas quotannis Emi. Praesides, cum magistris Academiae convenientes, praescripserint, vel *defendentium* vel *arguentium* partes agant. Singulis autem mensibus unus e magistris itemque e sodalibus aliquam philosophiae scriptiōnem recitabunt.

IV. Alumnus qui doctoris lauream in philosophia S. Thomae expetat, ad periculum doctrinae et scripto et voce faciendum de quolibet capite philosophiae, quae vel in speculatione veri vel in moribus versetur, ne admittatur, nisi minimum biennio praelectiones disputationesque frequentaverit, ac duas ex his disputationibus feliciter habuerit.

V. Qui doctoris in philosophia lauream consecutus est, si evadere velit sodalis Academiae adgregatus, praelectionibus et disputationibus interesse alterum biennium perget, ac publice propugnationem universae Aquinatis philosophiae suscipiat agatque cum laude.

VI. Candidato res successerit satis, si duas tertias punctorum partes tulerit. Examinateores suaे doctrinae iudices, quibus suffragii ius est, sive magistri, sive sodales, ab Emo. primo Praeside deligantur; et ii quidem ne minus quam tres unquam sint; ac tum ad probandum tum ad improbandum terna singuli habeant puncta, secreto attribuenda. Qui est a commentariis Academiae, itemque duo qui infra eum sunt, nisi examinatorum officio fungantur, suffragium non habent; verumtamen unus eorum candidatis examinandis semper adsit, qui rei exitum adnotabit.

VII. Sub finem anni academici, proposito ab Emis. Praesibus arguento, certamen doctrinae scribendo fiet. Scriptiōnem ii erunt iudices, quos Academia designaverit. Quod si plures idem mereri videantur, non partitum praemium, sed integrum singuli obtinebunt.

VIII. Certum quoque praemium tum magistris et sodalibus vel pro praelectionibus quas habuerint, vel pro scriptiōnibus quas confecerint, vel prout coetibus adfuerint, tum etiam alumnis pro disputationibus quas sive defendendo sive arguendo participaverint, tribuetur. Huiusmodi autem praemia, itemque ceteras omnes impensas quotannis faciendas Emi. Praesides definient; ii vero

qui sunt a commentariis Academiae, Praesibus postea rationem dederint.

(Ex Congregatione Studiorum, die xii mens. Martii MCMXV).

S. Poenitentiaria Apostolica.

De sacerdotibus non cappellanis ad exercitum pertinentibus, circa facultatem excipiendi fidelium confessiones durante bello.

Sacerdotes qui quovis titulo ad exercitum

pertineant, possunt, durante bello, dum exercitum comitantur, uti facultatibus omnibus, quibus ex decreto S. Poenitentiariae dato d. xviii mens. Decembris MCMXIV fruuntur cappellani militum, dummodo vel a proprio vel ab alio Ordinario confessiones fidelium excipiendi facultatem antea accepint, quae positive revocata non fuerit.

(Ex decr. d. xi mens. Martii MCMXIV).

FRIDIANUS SIVE De incondito adulescente⁽¹⁾

STA. — Meam orationis iustum partem persequo, et meam partem ibidem taceo, quum aliena est oratio.

FRID. — Audin' quam superbe illudat me blennus iste? Nisi citius adornet viaticum ad fugam... (*Confuse omnia folia, quae pree manibus sibi obveniunt, colligit, discendere paratus*). Nunc interim abeamus tandem nos.

CAL. — Sine te hoc exorem, ut certior fias schedulas ad invitandum intra folia illa revera esse.

FRID. — In pilento videam. Nunc est festinandum. Hora enim diu producta est, et aurigae etiam producitur pretium.

CAL. — Quaeso, actutum indaga, mete liquido ac tranquillo animo reddas.

FRID. — (*Folia trahit, schedulas exquirit porrigitque patri, incuriosus epistolae cuiusdam, quae in terram procidit*). Tuti non credideris: vincam te etiam nunc vero.

CAL. — Quasi non novimus inter nos!.. Intende in illas litteras nondum apertas!

(1) Cfr. num. sup.

FRID. — Ah! cursor hodie mane mihi tradidit. In tuto eas loces; cras legam.

CAL. — At si de re praesenti agatur?

FRID. — De re praesenti agi non potest conticinio.

CAL. — Age, legas nunc; momento temporis te expediveris; ad crastinum diem oblivisci etiam poteris...

FRID. — Lux quoque modo mihi non sufficit.

CAL. — En tibi lucem, litterasque reclusas. (*Porrigit Fridiano candelabrum et folium*).

FRID. — Heu, qua molestia me afficias! — (*Legit*): «Lentulus Calogero et Fridiano salutem. — Vos monitos volui ob malam patris mei valetudinem confessim in suburbanum apud eum mihi esse accurrendum; itaque festum in hodiernam diem nominalem meam in dictum, ad proximum annum differri debere. Valete». — Diabolus me rapiat!

STA. (Ariolus fui! Seipsum fovea decipit!)

CAL. — Dixi!... Agglutinant se ad malum malae res plurimae. Quidquid facere occooperis, una res est!

FRID. — Concedite atque abscedite omnes; de via decedite; mala enim crux me exagitat! (*Ira concitus humili sternit candelabrum; cera Calogeri vestem inquinat.*)

CAL. — Loquere insuper et opereris audacter! Men piacularem quoque oportet fieri ob stultitiam tuam?! Videas vestimentum novum quam sordide foedaveris!

FRID. — Hui! Qui damna concivi, resarciam! Paucis vinaceae huius distillatae guttis, maculae omnes absterguntur! (*Ampullam in proximo abaco positam rapit, et quae dixit agere festinat.*)

CAL. — Quiescas atque bono ingenio tandem aliquando utaris. Lympha enim illa non est quam credis.

FRID. — Ecquid est igitur? Olfacias et persuadeas tibi. (*Ampullam, ablato obturamento, ad patris nasum adducit.*)

CAL. — (*Semel atque iterum cum fratre sternuit, et filio increpitans in conclave suum indignabundus, se recipit.*) Brevi per urbem solus sermo eris omnibus cum istis moribus! Sed ego insipientior, qui te curem!

FRID. — Vide quemadmodum abstitit! Redactus ne est ad insaniam? Huiuscmodi purum liquorem in omni Europa non inveneris!... Experire tu, hirce. (*Stasimi naso ampullam rustice submittit.*)

STA. — Ah! ah! ah! Animam mihi extinxisti! Occisissimus sum omnium qui vivunt! (*Sternuens et is recedit.*)

FRID. — Tu quoque... Brute? — Periculum igitur ipse faciam. (*Exequitur*) — Ah! Oh! Eh... e... etcè!... Ammonium... hy... dra... tum! (*Dum sternutatorum intra conatus agitatur, ingreditur AURIGA clamans: Ehus tu, quid agitur istic?* Tempus teritur pluitque immodice: vin' me aqua macerari?)

FRIDIANUS erga eum progreditur, ore tamen verso ne impediatur quominus li-

bere sternuat; dumque manu significare ei vult, ut taceat atque moretur insuper, inconsiderate et sub eius nasum tendit ampullam. AURIGA, non secus quam ceteri, hydrati ammonii effectus persentit, sternuensque se dat praecipitem. FRIDIANUS sic remanet solus; atque sperare licet fore ut inconditam vitae suae rationem meditatus, ad meliorem frugem tandem aliquando se recipiat.

FINIS.

I. F.

MONITUM

Plures socii sunt, quibus per hunc Aprilis mensis fasciculum annua defuit subnotatio. Eos enixe rogamus ut quo citius, novi anni pretium solvendo, subnotationem ipsam renovare satagant, eoque magis quod, contra, administrationis regulis obtemperantes, fasciculorum ad ipsos transmissionem interrumpere coacti erimus.

Quid autem illis dicamus, qui decadentis anni contractis, sive directe sive indirecte, nobiscum obligationibus nondum satisfecerunt? Scimus tristibus hiscierum in adiunctis a nonnullis regionibus non esse, ut antea, satis expeditas rationes ad exteriores pecuniam mittendi; at sunt ubique publici cursus per quos liceat ipsam tradere; sunt nummariae mensae apud quas obligationis chirographa pro Italia non recusantur. In rem igitur bonae voluntatis aliquid socii isti adhibeant oportet; quam certe nobis haud negabunt, dummodo labores et sacrificia nostra ad opus hoc ferendum ac perficiendum parumper consideraverint...

ALMA ROMA.

Dr. JOSEPHUS FORNARI, sponsor.

Romae, ex off. I. Bertero et Soc. (Via Umbria, 27).

ALMA ROMA

LATINITATIS PRAECONIUM SINGULIS MENSIBUS EDITUM

Pretium annuae subnotationis (fasc. 12) est in Italia libell. 9; ubique extra Italiam libell. 12 (doll. 2.40; march. 10; rubl. 4 1/2; sh. 10; coron. 12) ante solvendum rectoque tramite mittendum ad JOSEPHUM FORNARI doctorem, Romam, Via del Governo Vecchio, 96. ~ ~

MONITUM

Plures socii sunt, quibus per elapsi Aprilis mensis fasciculum annua defuit subnotatio. Eos iterum iterumque rogamus ut quo citius, novi anni pretium solvendo, subnotationem ipsam renovare satagant, eoque magis quod, contra, administrationis regulis obtemperantes, fasciculorum ad ipsos transmissionem interrumpere coacti erimus.

Quid autem illis dicamus, qui decadentis anni contractis, sive directe sive indirecte, nobiscum obligationibus nondum satisfecerunt? Scimus tristibus hiscierum in adiunctis a nonnullis regionibus non esse, ut antea, satis expeditas rationes ad exteriores pecuniam mittendi; at sunt ubique publici cursus per quos liceat ipsam tradere; sunt nummariae mensae apud quas obligationis chirographa pro Italia non recusantur. In rem igitur bonae voluntatis aliquid socii isti adhibeant oportet; quam certe nobis haud negabunt, dummodo labores et sacrificia nostra ad opus hoc ferendum ac perficiendum parumper consideraverint...

ALMA ROMA.

De Alexandrinorum incerto animo in admittenda
S. Ioannis Chrysostomi auctoritate⁽¹⁾

Bonus erga Chrysostomum animorum sensus in diem manifeste apparebat, unde factum est ut Synesius episcopus Ptolemaeus, anno CCCCXI, quum amici cuiusdam Alexandri Episcopi, apud Theophilum patriarcham partes suscipieret, de nostro dicere non timeret (2): « Defunctorum fratrum memoria debito honore colenda est, cum vita autem similitates omnes desinere debent ».

Anno CCCCXII Theophilus vita cessit eiusque mors unicum atque insuperabile impedimentum evertit, cuius causa pax nunquam haberi potuit, praesertim quum Alexander Antiochenus, qui Chrysostomum familiarem habuit, Episcopus renuntiatus est. Nulla intermissa mora, nomen Chrysostomi iam defuncti, in diptycho inscripsit eumque illo habuit honore, quem Roma eidem a vindicando nunquam destitit (3).

(1) Cfr. num. sup.

(2) Epist. (66) ad Theophilum, P. Gr., 66, 1408-9.

(3) Haec conditio fuit sine qua non Innocentius I constantinopolitanos patriarchas in suam communionem receperit. PALLAD. Dial. 20, P. Gr. 47, 48. — THEODOR. HE, V, 34 (P. Gr. 82, 1264 D.). — MANSI, IX, 183.